



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Animalium curandorum causa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

spiciis victor evasisset: cum animalia singula singulis geniiis & cœlorum virtutibus credita, persua-
sum haberent, quos omni cultu sibi propitios reddere, & servare curabant, cuius aliquando numen
voti compotes explorassent. Quam opinionem magnus etiam Jamblichus, ac plerique alii Platonice
factionis proceres enixissime fovere contendunt: esse quendam in rebus inferioribus congruentiam,
ut nunc ita dicam, cum superioribus, ideoque ad sacrificiorum efficacitatem conferre. Neque
animata tantum id præstare, verum etiam inanimata, colores, figuras, numeros: veluti hexagona-
rius numerus cum Sole congruit, in Crocodilo, in Cane rursus, & canici pite Simia. Quædam à natu-
ra profectæ rationes, & vires, pari cum Luna temperatura deprehenduntur, ita demum colores, figu-
ras, formasque omnes, cuiuspiam superiorum convenire, vel animalium membra singula, ut Gallior
ad solares genios conciliandos efficacissimum.

ANIMALIUM CURANDORUM CAUSA. CAP. XXII.

Animalia vero apud Ægyptios ideo, dicit Jamblichus, alebantur, quia dum conservarentur te-
nerenturque, familiarem proprietatem ad deos auferent, vimque communionis inter homines
deosque conservarent. Quare Mathematici super hoc multa tradiderunt, ac nostris quoque tem-
poribus plerique non postremæ eruditionis viri, certis quibusdam siderum momentis imaginu-
las huiusmodi signant afflatu captato, ut astri genii illius tutela, quibus se vel à genesi, vel à pro-
fessione, vel etiam ab eventu aliquo commendatos credunt, fortunatiores simul ac beatores hant.

An propter
alimoniam,
sanitatem,
damos, ve-
stes focum
chylacos &
sapores.

Ad hoc Pli-
nia 23. c. 8.
A. Cellius
lib. 5. c. 6.
Propter o-
leo semen-
tum mem-
brorum.

Legendi Ge-
niales dies
Alexan. ab
Alexandro.

Quia credi-
tu Ceres.

Sedenim omnia hæc irrita sunt: ac penitus summoventur, cum sanctissimum Christi nomen in om-
nes huiusmodi delusiones opponitur: inde enim omne bonum, inde felicitas vera, & incassura
beatitudo. Sed ut susceptum prosequamur negotium: in honore plantæ etiam fuerunt, ne legumi-
na tantum, ex iis quæ terra nascerentur, cultu suscepta existimemus. Phœnices enim plantas divinis
honoribus coluere, ut apud Eusebium, & castu aliquo avulsas terra, aut alio quopiam eventu inter-
mortuas, miseratione, luctu & deploratione, ex patrio sacrorum ritu profecti sunt. Ad horum se-
re imitationem non arborum tantum, verum herbarum atque florum observationes alias alia de cau-
sa excogitavit terra Græcia, uti lauream pro triumphantibus, & iis qui immortalitate dignum ali-
quid perpetrassent: quænam pro iis qui civem servassent, oleaginam & alia quædam pro Gymni-
cis, de quibus multa passim Græci tradidere. Namque hi Pandoræ primum caput ponunt coronatum
à Charitibus. Saturnum Pherecydes ante omnes coronatum ait. Jovem Diorus post evictos Tita-
nos. Idem Priapo tæniæ dat, & Ariadnæ fertum. Junoni vitem Callimachus, de quo alibi ex Ter-
tulliano. Hercules nunc populum, nunc oleastrum, nunc apium capite præfert. Suam Apollo iau-
ream, post Delphicum Draconem interfectum, de quo Pindarus, atque Callimachus. Liber hederam,
cujus rei causam loco suo, ex Harpocrate recitavimus, quamvis idem India triumphata lauream
tulit: namque is ut Saturninus, triumphantorum Deus habitus. Milites idem ait etiam myrto, quæ pro-
pria Veneris est, coronari solitos, quamquam & olea, quæ Minervæ debetur in primis, redimi-
ti aliquando processere. Prætereo castrenses, murales, & navales ex auro dari solitas, & quæ late ha-
bentur apud Gellium, Suetonium, & alios, & quæ vulgatissima sunt de insignioribus, Græcia: cer-
taminibus. Olympiis, Isthmicis, Argivis, & Pythiis, quorum præmia, oleaster, pinus, apium & ma-
lum erant. Unde illud apud Max. Tirium: *Minimè fas est oleastro malove coronari, qui sciam ipse de-
ceret; ut victor præconio declareris, opus est amulo.* Sed ne videamur immemores Ægyptiorum, his pri-
ma reperta spicas capite circumtulit, quod Leo scriptor Ægyptius tradit. Et ut nostrarum quoque
literarum monumenta prosequamur. Eva omnium prima, diceret Tertullianus, pudenda sua foliis
coronavit. Sed qui plura his petierit Claudii Saturnini librum quem de coronis edidit, inquirat,
qui Tertulliano teste, & origines, & causas, & species, & solennitates earum ita differuit, ut nullam
gratiam floris, nullam lætitiæ frondis, nullum cespitem aut palmitem non alicui capiti invenias
consecratum.

LEGES. CAP. XXIII.

Coronam ne
canserit.

Ad coronarum demum hieroglyphica reversi, coronam dicimus legum indicium esse, propterea
quod certis est vinculis complicata, quibus vita nostra veluti religata coercetur. Atque hæc D.
Hierc.